

# Bilogus

---

INCIPIT LIBER QUI DICITUR BILOGUS EX SALOMONIS FONTE IN POEMATE  
DERIVATUS. INCIPIT PROLOGUS.

Domino P., uenerabili episcopo, Iohannes, monachici habitus uir devotus:  
optatissimam in Christo salutem.

Licet, pater carissime, in rebus utilibus preferendis peritiae me inopia  
litteralis angustet, solumque silentium linguae meae inter doctiloquos imperet,  
affectus tamen adipiscendae sapientiae, et ea quae ignoro discere et  
ea quae didici ruminare et ruminata in cordis mei pera perpetuo retinere  
compellit. Hactenus uero desiderii cupido iamdiu ad amplectendam Salomonici  
libri sapientiam animum meum pae ceteris excitauit, quia priscos  
sacri uerbi doctores eiusdem uiri doctrinam plurimum admirari et admirando  
comitari cognoui. Quod aliter me posse facere nullatenus estimaui, nisi ut  
quasi ex aliquo mei exercitii glutino et illius fabricae praeclaro bitumine  
summae arcis aedificium aliquod consumarem. Sed quia cuncta illius prouerbia  
me difficile arbitratus sum meo poemate posse per singula exornare,  
studui praestantiora quaedam excerpere, ut ne uel superuacula lectori stomachum  
commouerent, aut nimium breuia de tantis rebus ridiculum facerent  
praesumptorem. Tua siquidem, pater, et quorundam fratrum dulcis  
exortatio ad hoc opus me ardentissimum inflammauit. Eiusdem etiam Salomonis  
me admonitio concitauit, qui iussit mihi aquam de cisterna mea bibere  
et fontes meos per plateas in populo deriuare. Simulque etiam illud orrui  
argendum quod ait: *Otiositas inimica est animae*. Expaui quoque quod  
idem ipse dixit: *Thesaurus absconditus et sapientia inuisa, quae utilitas in  
utrisque?* Tibi igitur, pater, hoc laboris mei opusculum offero, cui debeo  
quicquid in me est quod mea conscientia siue comprobat siue reprehendit.  
Addidi quoque huic libello carmine uestitum illud praeclarae famae miraculum  
quod felicissimus Athanasius episcopus uulgi auribus intimauit: uidelicet  
de sanguine qui ex stipite statuae Christi mirabiliter prodiit, quam Iudei  
Beritum urbem habitantes, zelo auorum excitati, cruci affixerunt; qui  
sanguis in pluribus urbibus orbis habetur insignis.

Qui uult doctrinam Salomonis discere miram

Hunc studeat Bilogum uolere sepe librum.

Istic comperiet stilo Proverbia prisco

Quae comit ex fuco mite poema suo.

Hic ueteres formas pictura nouella subornat,

Et recreat sucos herba uetusta suos.

Hic rudis antiquam cenam pinguedo saginat,[Page 333]

Fertque nouum merum una recensque uetus.

Hic tibi si placeat Salomon dat prandia lectori;

Si noua delectent fert tibi carmen opes.

Quae tibi per mensas latoris prosa ministrat,

Versibusque haec piperis condit amicus ibi.

Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris, et disce

iustitiam, et aequitatem et iudicium, ut addatur gratia capiti tuo.

Fili mi, praecepta tuo mea figito cordi,

Iustitiaque uiam disce perire piam.

Audiens sapiens sapientior erit, et intelligens gubernacula possidebit.

Auditor sapiens fiet sapientior ipse;

Vir nutrit regimen utilis egregie.

Fili mi, si te lactauerint peccatores, ne adquiescas eis: pedes enim illorum  
currunt ut effundant sanguinem.

Non te subuertant prauorum mollia uerba,

Nec sociare neci sanguinis innocui.

Frustra autem iacitur rete ante oculos pennatorum.

Ut uolucres fugiunt dum cernunt retia tensa,

Sic animo sapiens sua futura cauet.

Sapientia foras praedicat in foribus portarum urbis. Profert uerba sua  
dicens: Usquequo, paruuli, diligitis infantiam, dispexistis omne consilium  
meum et increpationes meas neglexistis? Ego quoque in interitu uestro ridebo  
et subsannabo, cum uobis quod timebatis aduenerit, quando uenerit  
super uos tribulatio et angustia.

Alta foras clamat prompta sapientia uoce,

In portis urbis praedicat atque foris:

Cur, pueri, stulta puerilia semper amatis?

Ad mea corde pio iussa redite cito.

Consilium nunc quippe meum quia spernitis altum,

Nolentes uestrum perpes amare decus.

Interitus uestros ego, cum perspexero seuos,

Ridebo, spernam, sic miseros feriam.

Auersio paruulorum interficit eos, et prosperitas stultorum perdet

illos. Qui autem me audierit, absque terrore quiescat.

Successu stultos perimunt, aduersa puisillos;

Sed qui me sequitur non erit hic trepidus.  
Inclina cor tuum ad cognoscendam sapientiam; quam si quesieris,  
tunc intelliges timorem Domini et scientiam inuenies.  
Ut diuina Deum mete sit sapientia tecum,  
Quam si quesieris protinus ille dabit.[Page 334]

Tunc intelliges iustitiam et iudicium et equitatem et omnem semitam  
bonam, si intrauerit sapientia cor tuum.  
Iustitiam cernes si ius cognoscere certes,  
Monstrabitque uiam lex tibi nota piam.  
Qui laetantur cum male fecerint et exultant in rebus pessimis, horum  
uiae peruersae sunt et infames gressus eorum.  
Si fueris sapiens, actus contempne malorum  
Qui plaudunt manibus tum mala cum faciunt.  
Ut eruaris a muliere aliena quae mollit sermones suos.  
Verba meretricis fuge mollia semper iniquae,  
Ut te non blandis decipiat labii.  
Qui enim recti sunt habitabunt in terra; impii uero de terra perdentur,  
et qui inique agunt auferentur ex ea.  
De tellure uiri uitae perdentur iniqui;  
Simplicibus rectis pax bene fructus erit.  
Ne sis sapiens apud temetipsum; time Deum et recede a malo.  
Ne uideare tibi sapiens sed prouidus esto,  
Et Dominum metuens improba cuncta fuge.  
Honora Deum de tua substantia et de primitiis frugum tuarum, et implebuntur  
orrea tua saturitate et uino torcularia redundabunt.  
Primitias frugum Domino deferto tuarum,  
Ut replete fructus horrea tota tuus.  
Ne deficias cum a Domino corripieris. Quem enim diligit Dominus corripit  
et quasi pater in filio complacet sibi.  
Ne labare pia cum te Deus arguit ira;  
Quem cupit heredem fer sibi flagra parens.  
Noli prohibere benefacere eum qui potest; si uales, et ipse benefac.  
Recta patrare uirum noli prohibere uolentem;  
Sed si recta uales tu bene fac sapiens.  
Ne dicas amico tuo: Vade et revertere et cras dabo tibi, cum statim possis  
dare.  
Ne dicas aliquid cito cum dare possis amico:  
Cras ad me rediens pollicitata feres.  
Ne moliaris amico tuo malum, cum ille in the habeat fiduciam.  
Nunquam tu fido ferus insidieris amico,  
Necnon ledenti impia uerba dabis.  
Abhominatio Domini est omnis illusor, et cum simplicibus sermocinatio  
eius.  
Illusor Domino manet execrabilis omnis,  
Et cum simplicibus colloquitur Dominus.  
Omni custodia serua cor tuum, quia ex ipso uita procedit.  
Cor bene recta tuum semper custodia seruet,  
Ex ipso quia fit uita salusque tibi.[Page 335]

Vias enim quae a dextris sunt nouit Dominus; peruersae uero sunt quae  
a sinistris sunt.  
Nota Deo semper fit partis semita dextrae;  
Ignorat leuum rectus iter Dominus.  
Caeu ut custodias cogitationes, et disciplinam labia tua conseruent.  
Custodi, fili, quid mens tua cogitet intus,  
Doctrinamque tua uociferent labia.  
Ne des alienis onorem tuum et annos tuos crudeli.  
Ne des ipse tuos aliis incautus onores,  
Nec seuis annos consocies proprios.  
Bibe aquam  
Cisternae potabis aquam puteique fluenta;  
Diuide fontis aquas, solus habeto tuas.  
Vade ad formicam, o piger, et considera uias eius et disce sapientiam.  
Formicæ tibi disce uiam, piger, sapiens ut sis,  
Ut locuples fias sollicitus uigila.  
Homo apostata, uir inutilis, graditur ore peruerso, annuit oculis,  
terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum.  
Peruerso graditur semper uir apostata cursu,  
Annuit ungue, labris, lumine, calce terit.  
Sex sunt que odit Dominus et septimum detestatur anima eius: oculos  
sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem,  
cor machinans cogitationes pessimas, pedes uelocius ad currendum in malum,  
proferentem mendacia testem fallacem, et eum qui seminat inter fratres discordias.  
Sex odit Dominus quibus est pars septima peior

Quam detestatur ex animo Dominus:  
Sublimes oculos, mendacem famine linguam,  
Quique uirum perimit sanguinis innocui,  
Cor machinans malum nimeo uelamine tectum,  
Ad mala ueloces perficienda pedes,

Productum testem mendacia sua ferentem,  
Inter fratres rixas murmur qui generat.  
Ut custodias te a muliere mala et a blanda lingua extraneae.

Non mulier et decipiatur mala famine blando,  
Perspice decipula ne capiare sua.

Non grandis culpa est cum quis furatur: furatur enim ut esurientem  
impleat animam. Qui autem adulter est propter cordis inopiam perdet animam  
suam, turpitudinem et ignominiam congregat sibi.

Maius crimen habet quam qui furatur adulter:

Iste famen pellit, ipse animam perimit.[Page 336]

Ira et furor Domini non parcer in die uindictae, nec adquiescat cuiusquam  
precibus, nec suscipiet pro redēptione dona plurima.

Ultio non parcer reprobis in fine superna;  
Hos nec et eripere plurima dona queent.

Multos enim uulneratos deicit mulier blanda, et fortissimi quique interfici  
sunt ab ea.

Fortes blanda uiros mulier deneruat amicos:

Inferi namque uias ire facit miseros.

Melior est sapientia cunctis opibus pretiosissimis, et omne desiderabile  
ei non potest comparari.

Est opibus mundi melior sapientia cunctis,

Cui nequit aequari quicquid hic orbis habet.

Noli arguere derisorem ne oderit te; argue sapientem et diligit te. Da  
sapienti occasionem et addetur ei sapientia.

Si mitem, gaudet, si stultum corripis, odit.

Stultus te ridet, laetus amat sapiens.

Sapientia aedificauit sibi domum, scidit columnas septem.

Aedificare domum studuit sapientia pulchram,

Quam septena petrae scissa columna tenet.

Principium sapientiae timor Domini, et scientia sanctorum prudentia.

Principio timor est Domini sapientia uera.

Vir sapiens est hic qui Dominum metuit.

Filius sapiens laetificat patrem; filius uero stultus mestitia est matri  
suae.

Exilarat patrem prolis sapientia karae,

Natus iners matri fit dolor atque patri.

Non proderunt thesauri impietas; iustitia uero liberabit a morte.

Thesaurus miseris non proderit impietas;

Iustitiae cultu(s) soluit ab interitu.

Non affliget Deus fame animam iusti, et insidias impiorum subuertet.

Esurie iustum Deus aut lacerabit amara;

Prauorum fictas subruet insidias.

Egestatem operata est manus remissa; manus autem fortium diuitias  
parat.

Brachia diuitias adquirunt fortia multas,

Ac manus esuriem congerit omnis iners.

Qui congregat in messe filius sapiens est; qui autem stertit aestate, filius  
confusionis.

Congregat estatis sapiens sibi tempore messem;

Segnis omnis stertit probra ferensque genuit.

Memoria iusti cum laudibus, et nomen impiorum putrescit.

Fama uiri iusti metam cum laudibus afferit;

Seua patrare studens nomen et ipse ruet.[Page 337]

Qui ambulat simpliciter ambulat confidenter; qui autem deprauat uias  
suas manifestus erit.

Simpliciter uir eundo metu non angitur ullo;

Qui deprauat iter procidet ipse miser.

Odium suscitat rixas, et uniuersa delicta operit caritas.

Fert odium rixas latitans sub corde doloso;

Verus amor mentis crimina cuncta tegit.

Substantia diuitis urbs fortitudinis eius; pauor pauperum egestas rerum.

Creditur urbs fortis substantia magna potentis;

Pauperies tenuis haec timor est inopis.

Abscondunt odium labia mendacia; qui profert contumelias insipiens  
est.

Abscondunt odium mendacia fraude labella;

Probra leuis profert protinus insipiens.

In multiloqo peccatum non deerit; qui autem moderatur labia

sua prudentissimus est.  
Pluribus eloquiis peccatum semper adheret;  
Vir uitam linguam qui moderatur amat.  
Labia iusti erudint plurimos; qui autem indocti sunt, in cordis egestate  
morentur.  
Erudit ad uitam multos prudentia iusti;  
Cordis egestatem uir male uiuet habens.  
Quasi per risum stultus operatur scelus; sapientia est autem uiro prouidentia.  
Peccatum quasi per risus operatur iniquus;  
At sapiens animo prouidus extat homo.  
Sicut acetum dentibus et fumus oculis, sic piger his qui miserunt eum.  
Fumus adest oculis acre, dentibus et fit acetum;  
Et piger a quibus est missus ineptus homo est.  
Timor Domini apponit dies; anni impiorum breuiabuntur.  
Annos atque dies timor Domini auget habenti;  
Annus crudelis adbreviatus erit.  
Os iusti parturiet sapientiam; lingua prauorum peribit.  
Doctrinam parit os iusti grauidante sophya;  
Praui lingua uiri non moderata perit.  
Statera dolosa abominatio est apud Deum; et pondus aequum uoluntas  
eius.  
Statera plena dolo Domino fit odibilis alto;  
Aequum pondus amet cui bene recta placent.  
Ubi fuerit superbia, ibi erit et contumelia; ubi autem humilitas, ibi et  
sapientia.  
Elatam semper sequitur discordia mentem;  
Exornat mitem gloria, pax humilem.[Page 338]

Simplicitas iustorum dirigit eos, et supplantatio peruersorum vastabit  
illos.  
Simplicitas rectos per calles dirigit aequos;  
Deceptor studiis fallitur ipse suis.  
Iustitia rectorum liberabit eos, et in insidiis suis capientur iniqui.  
Insidiis propriis lapsi capientur iniqui;  
Iustos iustitia liberat ipsa sua.  
Simulator ore decipit amicum suum; iusti autem liberabuntur scientia.  
Decipit ore suum blando simulator amicum,  
At sapiens seuis liber erit laqueis.  
In benedictione iustorum exaltabitur ciuitas, et ore impiorum subuertetur.  
Urbes exaltat iusti benedictio magna;  
Subuertit muros ore nefandus homo.  
Qui ambulat fraudulenter, reuelat archana; qui autem fidelis est, celat  
animi commissum.  
Fraude malus seuia fallax archana reuelat,  
Inque fide felix cuncta secreta tegit.  
Ubi non est gubernator, populus corruet; salus autem ubi multa consilia.  
Corruit hic populus sapiens quem nemo gubernat,  
Consiliisque salus iungitur utilibus.  
Afligetur malo qui fidem facit pro extraneo; qui autem cauet laqueos  
securus est.  
Afficitur poenis infidus sponsor amici;  
Qui laqueos cernit ipse quietus erit.  
Benefacit animae suaे uir misericors; qui autem crudelis est, et propinquos abicit.  
Vir miserans animam propriam saluabit egenis;  
Fratres crudelis deiciendo ferit.  
Impius facit opus instabile; seminanti autem iustitiam merces fidelis.  
Iustitiam merces dabitur benefida serenti;  
At opus instabile semper iniquus aget.  
Clementia praeparabit uitam, et sectatio malorum mortem.  
Fert infinitam felix clementia uitam;  
Iniustus mortem quam sequitur capiet.  
Alii diuidunt propria, et ditiores fiunt; alii rapiunt non sua, et semper  
in egestate sunt.  
Sunt sua qui tribuunt et habent et semper abundant;  
Sunt aliena quidem qui rapiunt et egent.  
Qui abscondit frumenta maledicitur in populo; benedictio autem  
super caput uendentium.  
Qui frumenta tegit uulgo maledicitur omni;  
Qui cererem uendit hic benedictus erit.[Page 339]

Qui conturbat domum suam possidebit uentos, et qui stultus est seruiet  
sapienti.  
Possidet hic uentos propriam qui dissipat aedem;  
Inspiens docto seruiet ipse uiro.  
Fructus iusti lignum uitae, et qui suscipit animas sapiens est.

Fructus erit iusti lignum pro munere uitae;  
Est sapiens animas qui capit indigenas.  
Non roborabitur homo ex impietate, et radix iustorum non commouebitur.  
Impietas hominem prao non roborat usu;  
Iustum radix inclita se<m>per abit.  
Verte impios et non erunt; domus autem iustum permanebit.  
Verte malos nec erunt, animo mutante figuram,  
Et bene iustum permanet alta domus.  
Doctrina sua dinoscitur uir; qui autem malus et excors est patebit  
contemptui.  
Doctum nota uirum patulo sapientia prodit;  
Contemptui miser est debitus insipiens.  
Melior est pauper et sufficiens sibi quam uir gloriosus et indigena pane.  
Pauper sufficiens melior sibi dicitur insons  
Quam quem res breuis et gloria uana foverit.  
Nouit iustus animas iumentorum suorum; uiscera autem impiorum  
crudelia.  
Vir iumentorum sapit aequus corda suorum;  
Viscera crudeles impia se<m>per habent.  
Propter peccata labiorum ruinae proximat malum.  
Propter prava uiro labiorum crimina diro  
Imminet et plagam magna ruina parat.  
Via stulti recta in oculis eius; qui autem sapiens est audit consilia.  
Sema recta uiri stulti sua creditur ipsi;  
Consilium sapiens audit et est sapiens.  
Fatuus statim indicat iram suam; qui autem dissimulat, callidus est.  
Insipiens iram confestim prodit iniquam;  
Aspera probra gemens dissimulat sapiens.  
Non contristabit iustum quicquid ei acciderit; impii autem replebuntur  
malo.  
Iustus in accessu non contristabitur ullo;  
Impius aduersis conteritur graibus.  
Qui neglegit damnum propter amicos iustus est; iter autem impiorum  
decipiet eos.  
Qui neglegit damnum sapient<s> est propter amicum;  
Et sua uerordes semita decipiet.[Page 340]

Qui custodit os suum custodit animam suam.  
Os quicumque suum uerbi moderamine frenat  
Custodit propriam laqueis animam.  
Vult et non uult piger; anima autem operantium impinguabitur.  
Vult piger et non uult, animorum motibus herens;  
Est operosa manus hic ubi multa salus.  
Inter superbos semper iurgia sunt; qui autem agunt cuncta consilio  
reguntur sapientia.  
Iurgia sunt inter semper diffusa superbos;  
Vir prudens melius consilio regitur.  
Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit; amicus stultorum efficietur  
similis.  
Cum docto gradiens fiet quoque doctus et ipse;  
Participans stultis efficitur similis.  
Qui parcit uirgine suea odit filium suum; qui autem diligit illum, instanter  
erudit.  
Qui parcit uirgine natum quem diligit odit;  
Quos amat instanter erudit ille pater.  
Sapiens mulier aedificabit domum suam; insipiens extrectam quoque  
destruet manibus.  
Docta domum mulier sub stemate condit amoeno;  
Insipiens structum destruit euacuans.  
Domus impiorum delebitur; tabernacula uero iustum germinabunt.  
Prauorum domus instabilis delebitur alta;  
Germina grata pii munda taberna dabit.  
Est uia quae uidetur homini iusta, nouissima autem eius ducit ad mortem.  
Est uia quae iusto simulatur tramite duci,  
Diram meta necem cuius amara feret.  
Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat.  
Risus habet semper mixtus in fine dolores;  
Occupat et meror gaudia cuncta ferox.  
Sapiens timet et declinat malum; stultus transilit et confidit.  
Formidat sapiens uitans discrimina sua;  
Stultus confidit, transilit, inde cadit.  
Qui despicit proximum suum peccat; qui autem miseretur pauperi beatus  
erit.  
Despiciens inopem peccatum congerit i<n>gens;  
Vitam felicem qui miseretur habet.

In multitudine populi dignitas regis, et in paucitate plebis ignominia principis.  
Regis honor daret populi stipatio magni,  
Et raro princeps milite turpis hebet.[Page 341]

Vita carnium sanitas cordis; putredo ossium inuidia.  
Carnea uita simul cordis fit uita salubris,  
Internisque putrent ossibus inuidiae.  
Iustitia eleuat gentem; miseros facit populos peccatum.  
Iustitiam gentem leuat alma cupido uolentem;  
Peccatum miseros grande facit populos.  
Responsio mollis frangit iram; sermo durus suscitat furem.  
Iram feruentem frangit responsio mollis,  
Et surgit duro famine sepe furor.  
Victimae impiorum abhominabiles Domino; uota iustorum placabilia.  
Victima prauorum Domino est inamabilis aequo;  
Vota placent iusta luminibus Domini.  
Melius est parum cum timore Domini quam thesauri magni et insatiabiles.  
Paruula res melior Domini fit iuncta timori  
Thesauris frugi quos tenet arca uiri.  
Melius est uocare ad olera cum karitate quam ad uitulum saginatum  
cum odio.  
Gratius est olus exhibitum tribuentis amore  
Quam uitulus pinguis qui calet ex odiis.  
Vir iracundus prouocat rixas; qui patiens est mitigat suscitas.  
Iracundus homo rixas diffundit amaras;  
Mitigat iratos uir patiens animos.  
Dissipantur cogitationes ubi non est consilium; ubi uero plures sunt  
consiliarii, confirmantur.  
Vir sine consilio quod sperat dissipat omne;  
Firmantur multis commoda consiliis.  
Conturbat domum suam qui sectatur auaritiam; qui autem odit munera  
uiuet.  
Ille domum turbat mentem qui nutrit auaram;  
Munera conte~~m~~prens hic uiget ut sapiens.  
Hominis est animum praeparare, et Dei gubernare linguam.  
Preparat incertos animos homo quisque futuri,  
At linguam Dominus soluit alitque pius.  
Cum placuerint Domino uiae hominis, inimicos quoque eius convertet  
ad pacem.  
Sema quando uiri Domino placet utilis aequi,  
Huic hostes uertens pace Deus redigit.  
Cor hominis disponet uiam suam, sed Domini est dirigere gressus eius.  
Mens iterare uias hominis disponit amicas,  
Ad Dominus gressus dirigit eximus.[Page 342]

In illaritate uultus regis uita; et clementia eius quasi ymber serotinus.  
In placido regis uultu fit uita beatiss;  
Imber ut est aptus tempore serotinus.  
Contritionem praecedit superbia, et ante ruinam exaltabis spiritus.  
/\*  
Preuenit instante sue sana superbia casus;  
Spiritus exultat quam prius ille ruat.  
Homo peruersus suscitat lites, et uerbosus separat principes.  
Peruersus lites homo fratribus ingerit altas;  
Verbosus reges separat et comites.  
Melior patiens est uiro forte et qui dominatur animo suo, expugnatores  
urbium.  
Est melior patiens urbes pugnante superbias,  
Et dominando sui fortior est aliis.  
Seriis sapiens dominabitur filiis stultis, et inter fratres hereditatem  
diuidet.  
Diuidet in stultis dominis patrimonia seriis,  
Utilis heredes instituens hebetes.  
Qui despicit pauperem exprobrat Factori eius; et qui in ruina laetatur  
alterius non erit impunitus.  
Despiciens inopem Factorem despicit eius;  
Alterius gaudens casibus ipse cadet.  
Qui reddit mala pro bonis non recedit mala de domo eius.  
Est homo non felix qui pro mala reddit honestis,  
Et domus illius peste carere nequit.  
Qui dimittit aquam caput est iurgiorum, et antequam patiatur contumeliam,  
iudicium deserit.  
Qui dimittit aquam fiet caput ille dolorum;  
Iurgia qui fundit dedecoratus erit.

Est qui iustificat impium, et qui condemnat iustum: est abominabilis  
uterque apud Deum.  
Iustificans nequam, rectos examine damnans,  
Iudicio Domini talis uterque perit.  
Omni tempore diligit qui amicus est, et frater in angustiis comprobatur.  
Fidus homo fidos umquam non linquit amicos;  
Aduersis frater carus amicus adest.  
Munera de sinu impius accipit ut peruerat semitas iudicii.  
De gremio nummos peccantum sumit iniquus;  
Subuertit captus munere iudicium.  
Stultus quoque si tacuerit sapiens putabitur; et si compresserit labia  
sua intelligens.  
Dum tacet insipiens sapiens in plebe putatur;  
Creditur intendens indice labia tegens.[Page 343]

Occasiones querit qui uult recedere ab amico; omni tempore erit exprobrabilis.  
A fido causas cupiens discedere querit;  
Afficitur probris qui studet ire dolis.  
Impius cum in profundum uenerit peccatorum contempnit, sed sequetur  
ignominia et obprobrium.  
Impius in puteum peccati crimina tempnit;  
Hunc tamen inuisum dedecus insequitur.  
Verba bilinguis quasi simplicia, et ipsa perueniunt usque ad interiora  
uentris.  
Verba susurronis quasi simplicis oris;  
Haec tamen ad uentris uiscera prona fluunt.  
Qui prius respondet quam audiat, stultum se esse demonstrat et confusione  
dignum.  
Respondens citius quam sollers audiat esse  
Monstrat se stultum, consilio uacuum.  
Iustus prior est accusator sui; uenit amicus eius et inuestigabit eum.  
Se prior accusans Domino uir iustus habetur;  
Iudicio placidus discutiet Deus hunc.  
Mors et uita in manu linguae; et qui comedent eam fructum eius.  
In manibus linguae mors est et uita loquentis;  
Fructibus illius hanc retinens fruitur.  
Vir amicabilis ad societatem magis amicus erit quam frater.  
Qui blando fit conueniens et amabilis ore.  
Dulcior est fratre, carior atque patre.  
Testis falsus non erit impunitus, et qui mendacia loquitur non effugiet.  
/\*  
Non erit impunitus fallax in crimine testis.  
Nec fugiet penam qui loquitur reproba.  
Fratres hominis pauperis oderunt eum; insuper et amici procul recesserunt  
ab eo.  
Exhorrent inopem crudelia pectora fratrem;  
Pauperis aequum spernit amicus eum.  
Doctrina uiri per patientiam noscitur, et gloria eius est iniqua praetergredi.  
Doctum prona uirum fieri patientia monstrat,  
Gloria cui magna fit reprobare nefas.  
Sicut fremitus leonis, ita et ira regis; et sicut ros super erbam, ita ilaritas  
eius.  
Sic furor est regis fremitus uelut ore leonis;  
Ros uelut est erbis est ita rex ilaris.[Page 344]

Feneratur Domino qui miseretur pauperis, et uicissitudinem suam  
reddet ei.  
Fenerat ille Deo quisquis miseretur egeno,  
Atque uicem recipit qui pia dona dedit.  
Luxuriosa res uinum et tumultuosa ebrietas: quicumque his delectatur  
non erit sapiens.  
Ex uino luxus fluit ebrietasque tumultus:  
His se qui miscet non agit ut sapiens.  
Propter frigus piger arare noluit; mendicabit ergo estate, et non dabitur  
ei.  
Nolit arare piger frigens algore minaci;  
Meret in estate fertilitate carens.  
Iustus qui ambulat in simplicitate sua beatos post se filios derelinquet.  
Vir iustus peragrans in simplicitate beata  
Ipse bonam prolem tempore mortis habet.  
Pondus et pondus, et mensura et mensura: utrumque abominabile  
est apud Deum.  
Est odium pondus Domino mensuraque duplex.  
Exsecratur et hunc qui patrat ista Deus.  
Dissipat impios rex sapiens et incuruat super eos fornicem.

Rex sapiens reprobos disperdit iure tirannos,  
Et super hos curuo fornice tecta leuat.  
Mul<c>tato pestilente sapientior erit paruulus, et qui sequitur  
sapientiam sumet scientiam.  
Viro pestifero metuens fit mitior ulti;  
Qui sequitur docile ipse peritus adest.  
Qui diligit epulas in egestate erit; qui amat uinum et pinguia non  
ditabitur.  
Pauper amans epulas uitam patietur amaram,  
Nam faciunt hominem Bachus, adeps, inopem.  
Melius est habitare in terra deserta quam cum muliere rixosa et iracunda.  
Desertas homini melius puto uertere terras  
Quam cum rixosa coniuge ferre moras.  
Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.  
Aduersus Deum non est prudentia quicquam.  
Nec contra fit eum consilium ualidum.  
Melius est nomen bonum quam diuitiae multae; super argentum uero  
et aurum gratia bona.  
Diuitias multas famae praecellit honestas.  
Argento et auro gratia fit melior.[Page 345]

Qui calumpniatur pauperem ut augeat diuitias suas dabit ipse ditiori  
et egebit.  
Cum quis diuitias augens extorquet egenis,  
Ilio post alter ditior has rapiet.  
Non facias uiolentiam pauperi quia pauper est, neque conteras egenum  
in porta, quia Dominus iudicabit causam eius et configet eos qui confixerunt  
animam eius.  
Ne facias homini uim tu uiolentus amaram,  
Nam pius illius ulti erit Dominus.  
Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum uiro furioso.  
Non iracundo fias ignauus amicus,  
Nec tibi sit comes hic qui furiosus adit.  
Nec erigas oculos tuos ad opes quas habere non potes, quia faciunt sibi  
pennas quasi aquilae et uolabunt in celum.  
Non inhies opibus quas accumulare nequibis,  
Nam faciunt pennas ut uolucresque uolant.  
Noli esse in conuiuiis potatorum nec in comedationibus eorum, quia  
carnes ad uescendum conferunt.  
Potantum nimium sobrius conuiua sperne  
Qui se collata hos fuge carne cibant.  
Gloria Dei celare uerbum, et gloria regum inuestigare sermonem.  
Gloria fit Domini uerbum celare silendum;  
Regum sermones nosse bonos decus est.  
Si esurierit inimicus tuus ciba illum; si sitierit, da ei aquam bibere.  
Si tuus esurit hostis tu eum pane cibato;  
Si sitiet placidam porridge mitis aquam.  
Sicut qui mel multum comedit non est ei bonum, sic qui scrutator est  
maiestatis oprimitur gloria.  
Qui multum mellis comedit patietur amare;  
A ardua deprimitur discutiens nimium.  
Sicut urbs patens et absque murorum ambitu, ita uir qui non potest  
in loquendo cohibere spiritum suum.  
Urbs ut tota patens nullo tutatur ab hoste:  
Sic uir non cohibens os sed inepta loquens.  
Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse uideatur.  
Responde stulto iuxta quod digna meretur.  
Ne sibi cernatur famine doctiloquus.  
Verba susurronis quasi simplicia, et ipsa perueniunt usque ad intima  
uentris.  
Sermo susurronis gladio cor figit acuto;  
Fit ferus interius mollis ab ore fluens.[Page 346]

Laudet te alienum et non os tuum, extraneus et non labia tua.  
Non tua te laudet populi sed proximi lingua  
Quamque tuum potius alterius labium.  
Substantia festinata minuetur; quae autem paulatim colligitur manu  
multiplicabitur.  
Festinata cito substantia labitur aucta;  
Paulatim manibus multiplicata uiget.  
Melior est manifesta correptio quam amor absconditus.  
Utilior patulis homini correptio uerbis  
Quam sit amor magnus conditus interius.  
Infernus et perditio non replebuntur; similiter oculi hominum insatiabiles.  
Infernus nequit impleri per saecula sicut,

Sic oculus cupidi non satiatus erit.  
Fugit impius nemine persequente; iustus autem quasi leo confidens  
absque terrore erit.  
Quem non persequitur trepidus fugit impius alter.  
Iustus confidit, ut leo fortis adit.  
Qui declinat aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.  
Aures declinat ne leges audiat excors:  
Illiū oratus oderit hinc Dominus.  
Qui abscondit scelera sua non dirigetur; qui autem confessus fuerit  
et reliquerit ea, misericordiam consequetur.  
Qui peccata tegit proprios non dirigit actus;  
Qui prodit lacrimans huic Deus est miserans.  
Beatus homo qui semper est pauidus; qui uero mentis est durae corruet  
in malum.  
Qui pauidus semper fit felix ille quiescat;  
At mentis durae qui manet ipse ruet.  
Qui operatur terram suam saturabitur panibus; qui sectatur otium replebitur  
egestate.  
Vir terram operans saturatur panibus aptis;  
Otia quisquis amat uiscera fert uacua.  
Vir qui festinat ditari et aliis inuidet ignorat quod egestas superueniet ei.  
Ditari cito festinans uir et inuidus omnis  
Non sapit infelix quam cito pauper erit.  
In multiplicatione iustorum letabitur uulgus; cum impii sumpserint  
principatum gemit populus.  
In sociis multis uulgus letatur honestis,  
Principibusque feris est gemitus populis.  
Totum spiritum suum profert stultus; sapiens difert et reseruat in posterum.  
Inspiens totum quod sentit uocibus effert;  
At sapiens seruat corde loquenda probans.[Page 347]

Qui delicate a pueritia nutrit serum suum, postea illum sentiet contumacem.  
Delitiis quisquis serum puerum nutrit altis.  
Hunc obſistentem post sibi sentit hebes.  
Nullum ſecretum est ubi regnat ebrietas.  
Secretum ſemper patet ebrietate frequenti;  
Incumbens uino mentis habetur inops.  
Ad locum unde exeunt flumina reuertuntur ut iterum fluant.  
Unde fluunt redeunt decursis flumina limphis  
Ut rurus regrada clarior unda fluat.  
In multa ſapientia multa est indignatio, et qui apponit ſcientiam apponit  
dolorem.  
Vir sapiens animo ſemper ſpiritat amaro;  
Plurima diſcenti a.a! dolor altus erit.  
Funiculus triplex difficile rumpitur. Melior est pauper et sapiens rege  
ſene et stuſto.  
Funiculus triplex facili non rumpitur hictu.  
Rege ſene et stuſto doctus inops melior.  
Multas curas ſecuntur ſomnia, et in multis ſermonibus inueniuntur stuſtitia.  
Multiplices curas imitantur ſomnia dura;  
In uerbis multis improba lingua ruit.  
Muſto melius est non uouere quam post uotum promissa non reddere.  
Vota Deo cuiquam non prodest fundere iusta,  
Ni pia promissa post bene perficiat.  
Auarus non impletur pecunia, et qui amat diuitias fructus non capiet  
ex eis.  
Non umquam nummis inhians impletur auarus;  
Fructus non capiet diuitias cupiens.  
Sicut egressus est homo nudus de utero matris suae, ſic reuertetur,  
et nichil affert ſecum de labore ſuo.  
Ut puer egreditur nudus genitricis ab aluo  
Sic illuc rediet nec ſua parta uehet.  
Melius est ire ad domum luctus quam ad domum conuiuii.  
Ira domum melius luctus est funere tristem  
Quam conuiuantum ludibriis hilarem.  
Cor ſapientium ubi triftitia eſt, et cor stuſtorum ubi laetitia.  
Est ibi cor ſapientis ubi tribulatio flentis;  
Stultum ſemper amat prodere laetitiam.  
Ne uelox ſis ad irascendum, quia ira in ſinu stuſti requiescit.  
Ne uelox fias ad iniquam feruidus iram,  
Namque ſinu stuſti conditū ira uiri.[Page 348]

Virum de mille unum repperi; mulierem ex omnibus non inueni.  
Vir fieri de mille ualet uix sobrius unus;  
Ex cunctis mulier nulla pudica manet.

Non est in hominis ditione prohibere spiritum, nec habet potestatem in die mortis.

In ditione sua non est spirare uolentis,

Nec ualet eripere se nece uir moriens.

Quodcumque potest manus tua facere instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erunt apud inferos quo tu properas.

Quae potes instanter miseris solatia ferto:

Non apud infernos est opus aut ratio.

Ve tibi terra cuius rex puer, est, et cuius principes mane comedunt.

Ve tibi terra quam rex infrena gubernat

Et cuius princeps mane sedet comedens.

Si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit ibi erit.

Ad partem quamcumque cadens aquilonis et austri,

Lignum fiet ibi: sic homo cum ruerit.

Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum; imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.

Inuidia sontis mors orbem perculit hostis;

Nunc illum fratrem qui comitantur habent.

Custodite ergo uos a murmuratione quae nichil prodest, et a detractione parcite linguae.

Murmura non uestras animas laetalia sternant,

Nec fratri proxima lingua trahat.

Bonorum enim labiorum gloriosus est fructus, et quae non concidat radix sapientiae.

Fructus rectorum cumulantur fine laborum,

Et quorum radix marcida nulla cadit.

Condemnat autem iustus mortuus uiuos impios, et iuuentus celerius consumata longam uitam iniusti.

Defunctus uiuos iustus condemnat iniquos,

Et iuuenis celeris mors mala facta senis.

Iudicium durissimum in his qui praesunt fiet: exiguo enim conceditur misericordia; potentes autem potenter tormenta patiuntur.

Iudicium reprobis praelatis amarum,

Et locuples poena potentis erit.

Non enim subtrahet personam cuiusquam Dominus, nec reuerebitur magnitudinem cuiusquam Deus.

Non Dominus parcat cuiquam sub fine potenti,

Nec magnum iudex ipse uirum metuet.[Page 349]

Unus ergo introitus omnibus, et similis exitus.

Introitus uitae est cunctis mortalibus unus,

Et cunctis erit his exitus assimilis.

Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.

Aggrauat inclusas animas dilabile corpus;

Deprimit et sensum terrea iure domus.

Acerbo enim luctu dolens pater, cito sibi rapti filii fecit imaginem. Illum qui tunc homo mortuus fuerat, nunc tanquam deum colere cepit, et constituit inter seruos sacra et sacrificia. Deinde, interueniente tempore, ualescente iniqua consuetudine, hic error tanquam lex custoditum est, et tirannorum imperio colebantur figmenta; et eum quem antea tanquam homo honoratus fuerat, nunc ut deum adorauerunt.

Forte dolens cari genitor de funere nati

Effigiem ligni huic similem statuit.

Hanc inter famulos sacratam censem haberi

Et iubet hoc magno numen honore coli.

Hinc miser excreuit mos in mortalia corda

Ut ueneretur homo quos facit ipse deos.

O mens stulta nimis oculos quae fit in imis

Qui nequeunt orat ullum parare bona!

Cum enim quietum silentium contineret omnia, et nox in suo cursu

medium iter haberet, omnipotens sermo tuus, Domine, de caelo a regalibus sedibus uenit; durus debellator in mediam exterminii terram prosiliuit, gladium

acutum insimilatum imperium portans tuum; et stans repleuit

omnia morte, et usque ad caelum attigebat stans in terra.

Dum fierent cunctis tenebrosa silentia terris,

Et nox obscura curreret acqua rota,

Sermo Deo missus uerbum sapientia Christus

Clastrum uirginei uentris ab arce petit,

Bellator durus gladio portauit acutum,

Imperiumque tenens omnia morte replet.

